

1603

decem conventibus, quas *communitates* vocant, constat. Penes eos summa reipublicæ, jus bella, paces, fœdera, ac quidquid ad publicam rem spectat, suffragiis decernendi. In prima vigintiquinque, in secunda viginti octo, in tertia quindecim suffragia adnumerantur, ut cuncta octo ac sexaginta summam æquent. Ex iis concilium (*Dietam* vocant) conficitur: tres in eo præsides, totidem scribæ (bini pro quoque pago leguntur) ut, si horum suffragia addas, quatuor ac septuaginta in universum censeantur, ex quorum majori numero omnibus de rebus decernitur. Pagorum præfides certos homines, qui cum Principum ministris ad eos ventitare assuetis agant, deligunt. Si quæ amplexanda existiment, novem ac viginti viros ad *communitatum*, ut vocant, sententias exquirendas mittunt. Ab iis ad concilium majus refertur, penes quos deliberandi, ut diximus, facultas est. Bis in anno junio mense divi Joannis, januario divi Pauli festis diebus conveniunt. Aliud extra hæc tempora minus consilium cogere consuevere, quod sex ac triginta viris constat, *Pittacum* appellant. In id, si quid extra dietæ tempus petatur, coeunt, de postulatis referunt, exquisitisque communitatum sententiis decernunt. Ingenium gentis ejusmodi est, ut sæpius plebis arbitrio, quam ratione regatur. Locorum, sterilitate infecundo solo multarum rerum egent; auri in primis appetentes atque avidi. Ac licet Helvetiorum instituta imitati, reipublicæ quamdam formam retineant, attamen annibus, montibus, ac vallibus inter se discreti ac disjuncti, pro variis quoque studiis ac rationibus non modo inter se nonnunquam dissident, verum sæpius privato nimium addicti commodo, officium in republica tuenda deferunt.

In Hispanos, & Gallos non eodem modo affecti sunt. Affidua quoque commercia inter eos ac Insuabres sunt, ob ea quæ ex Germania per Lepontiorum fines in Comensem lacum influunt. At in Gallos, vel ob opimas pensiones atque beneficia a Regibus accepta, vel quod eorum præsidio libertatem facilius tueri posse sibi persuadeant, mirum in modum proclinati sunt; ut superiori anno, obsistente licet Petro Henriqueo, Fuentano comite, Insuabrum gubernatore, fœdus cum Henrico, uti antea anno M.D.XXI. cum Francisco pepigerant, sanxerint. Cum

Vene-